QVÆSTIO MEDICA,

QVODLIBETARIIS DISPVTATIONIBVS MANE DISCVTIENDA IN SCHOLIS Medicorum, Die Iouis xix. Ianuarij,

M. PETRO HOMMETZ, DOCTORE MEDICO, PRÆSIDE.

An Quartana & Arthritis Medicorum opprobrium?



SAPIENS Medicus, ſicut ex ſymptomatis morbos omnes dignoſcit, ita ex morbis eorum cauſas, neceſſitate quadam naturali feliciter rimatur. Ille exploratâ affectus cuiuſque naturâ, vel ſedulam, ſemperque ſalutarem ægris nauat operam, aut morbi inexpugnabilis vehementiam & difficultatem cauſatus, ſi ægrum non deſerit, quod vix eſt Medici, ſaltem famæ ſuæ, quod prudentis eſt, conſulit ſapienter. Morbi diuturni ſemper difficiles, quorum alios humores craſſi generant, qui altiori in corpore concluſi, lentæ putredinis cæcis ignibus viſcera alterando, labem iis inurunt, tempore & opere plurimo vix eluēdam: alios antiquum & indelebile partis alicuius vitium fouet, quos omni facit Medicina maiores: neque enim morbos omnes, vel ſtatim vel ſemper, hæc vincere, aut perſanare nouit. Hinc triſtia Quartanæ & Arthritidis nomina, toties, ſed immerito Medicorum opprobrio, deplorata: quos affectus tanquam infames artis ſcopulos, iniquum vulgus obiicit, in quibus curandis, vel Medici ἰσόθεοι cæcutiant: Sed quàm fruſtra, aut ægrorum peruicaciam, aut naturæ infirmitatem, in diuinæ artis ſcandalum reuocat! Sunt illi morbi verè in Medicorum dedecus nati, quorum cauſas cum neſciant, eos tamen curandos ſuſcipiunt incon-

fultiùs, atque adeo tentatâ nequidquam Medicinâ, merita referunt culpæ opprobria.

QVARTANA quia mitiora nonnumquam habet principia, ægris ſuam in perniciem cunctantibus vires ſumit, circuitus multiplicat, & ſerpente in vaſa maiora putredine, in continuam, raram quidem, ſed fere inexpugnabilem degenerat. Arthritis quoque male dilata, à mora hoc contrahit, vt intimis defixa articulis, aut curationem vix ferat, aut ſæpius acerbior recrudeſcat: hinc illæ lacrymæ, neque enim vim morbi inſuperabili dolore excruciantis, & febris æſtum amplius ferre poſſunt, malorum diuturnitate fracti ægri. Ad circulatores confugiunt, vt febrem euomant, carpis pediiſue piſces, herbas omnis generis alligant: pulueres tartareos ingerunt, ſecreta quærunt, quæ in arte nulla, & demum neglecta natura, expiatoribus quibuſdam, qui luſtrationibus, incantamentis, & amuletis credulis imponunt, ſeſe miſere, & fruſtra deuouent: Arthritici verò non diſſimili ſtudio & pari euentu, nihil intentatum relinquunt, fotis calidis, cataplaſmatis tenuem ſeri partem exſorbent, quâ vnà cum innato articulis muco âbſumptâ, detortis tandem, & in tophum induratis digitis, eò res redit, vt accerſitam proprio errore infirmitatem, immerentibus Medicis imputent, quos ſi audiuiſſent, dum adhuc tractabilis morbus medicas manus non reſpuebat, præſentem pro conuitiis Medicinæ opem faterentur.

QVARTANÆ & Arthritidis cauſas omnes Medicus nouit. Huius antecedens cauſa, nobilioris partis intemperies vnà cum articulorum imbecillitate. Coniuncta non continens, quæ his in morbis nulla, humor omnis, qui in articulos decumbens, eorum ſpatia primum occupat, mox tendines, vincula, membranas, neruos, quos licet non conuellat, acerrimis tamen doloribus torquet. Eius differentiæ, à loco & materia petendæ ſunt: Quartana verò in omni humore melancholico poſito fomite, inde alterna mouet incendia, quæ cum difficillimè extinguat, propter contumaciſſimæ materiæ fermentique reliquias, iterum mutuas habent, morbus & ſanitas vices. Hos porrò morbos non efficit vnum caput aut lien. Altiorem originem habet pertinax vtrumque malum, & ab ipſo iecore potiſſimum accerſendam: quod viſcus ſanguinis παντοπρόφου vnicus author, dum æger intemperantiæ cedit

illecebris, pro meliori ſanguine ſeroſam & acrem reponit eluuiem, quæ cum articulos ſubiit, naturâ, aut furtim ac blandâ veneris fraude imbecilliores factos, Arthritidem ex mutuo Bacchi Venerisque connexu ſuſcipit, cuius vtriuſque fœcunda cum ſit ſoboles, rurſus fit & parens: homines enim intemperantes facit, & quod mirum forſan tibi erit, longæuos. Sin hepar, labefactata ſua temperie malâque diæta, fęculentum & exuſtum ſanguinem generet, conceptâ putredine quartana accenditur: cum pręſertim nobiliſſima hæc pars, propter ætatis conſeneſcentis frigiditatem declinat. Licet quippe nulli fere ætati, ſexui, temperiei, tempeſtati, regioni, parcant: omnium tamen maxime conſiſtentem ętatem, virilem ſexum, frigidiorem temperiem, vernam vel autumnalem tempeſtatem, Alexandriam vel Germaniam moleſte habent Quartana & Arthritis.

NIHIL magis eſt in Quartanæ periodis, aut tempeſtiuis Arthriticorum doloribus, quod Medicos lateat, quàm in aliis. Pleniſſimi periculi morbi non raro vi caloris natiui in ſecuriores mutantur. Epilepſiæ, continuæ febri, ac erraticis, vt ſępe Quartana, ſic & Arthritis, colicis, dyſentericis, nephriticis affectibus feliciter ſufficitur. Quidni & aliis? hinc ſi non primario, quod vix poteſt & non ſuaſerim, ſaltem vbi moras nectit, nec, qua tempeſtate ſolet exacerbatur, excitanda. Horum porro morborum curam cum ſuſcipis, conſulendus is eſt naturæ focus, ſeu veſtalis hæc flamma, item & horum vires attendendæ, ex quibus tota remediorum eſt diſpenſanda ratio, quæ nunquam Arthritidi, vbi curanda venit, defuerunt: nam herbas habet ſuas, olea, ſuccos, lacrymas, ferrum, ignem: ſed vno verbo, eius curandæ ſcopus duplex, euacuatio & articulorum confirmatio. Vtrumque variis modis ex natura partis obſeſſæ, materiæ morbificæ, & occaſione immutandis abſoluimus: ſic in Quartana non iiſdem perpetuo auxiliis, imò nec rarò diuerſis dimicandum, aut fallendum eſt: in iis tamen ante omnia tanquam deabus implacabilibus ſanguine non ſemel litare, & blandiori, ſed ſæpius repetito cathartico, etiam inclinantibus nondumque ſolutis febris paroxyſmis, libare tutum eſt.

MORBOS inſanabiles ſola efficeret naturæ deficientis imbecillitas, niſi ægri ſuam in vitam ipſi conſpirarent: quot enim ſunt, qui inclinato iam morbo, intempeſtiuo eſu, vel omiſſa pur-

gatione & phlebotomia, in malum reuoluuntur? eadem intempe-rantia, quæ Quartanam genuit, ſæpe fouet & alit. Sic ſe res habet, aut ægri nolunt, aut natura non patitur, aut hi morbi conueniente diæta, ſeduláque præcautione ac κενώσει profligantur. Ad hæc quid vulgus? Quartana quędam inſanabilis, quędam & Arthritis, eſto. Sic quouis in morborum genere quidam trucidant: non timet æger à tertiana, ſuperiore tamen anno duos aut tres ſuſtulit, phthiſis inueterata eſt ἀνίατος, lithiaſis, ſi grandiori calculo renes occupet, nullo remedio ſoluitur, phthora in propria viſcerum ſubſtantia non curatur. An ideo hęc ſunt Medicorum opprobria? Non dixerís. Ecce confoſſus homo eſt, & conceptam in pręcordiis mortem gerit, ſapienſne artifex ad illius vulnus manus illidat? Non faciet. Non adeo magis nodoſæ Chiragræ, aut in ſenectute, aut intemperatis Arthritidis curam ſpondeat: tunc enim nec profuerit dira ſtupendáue Antiphilonis θεραπεία, quæ alioquin omnino non ſpernenda foret: aut Quartanam verè Saturni filiam, obfirmata putredine, fatiſcentibus viſceribus breui, aut perfectè depulſurum polliceatur: nam fuit illa ſemper Medicinæ pręcipua laus, vt tam prudenter deſperatos ſponte deponat, quàm ſapienter curabiles morbos aggrediatur.

Non ergo Quartana & Arthritis Medicorum opprobrium.

Proponebat Lutetiæ TVSSANVS FONTAINE, Pariſinus, A. R. S. H. M. DC. XL.

DOMINI DOCTORES DISPVTATVRI.

M. Robertus Debonnaire.	*M. Leo le Tourneurs.*	*M. Guillelmus de Vailly.*
M. Mart. Akakia Pr. R.	*M. Nicolaus Cappon.*	*M. Claudius Geruais.*
M. Durandus Franc. Yon.	*M. Nicolaus Richard.*	*M. Franc. Guenaut, Sch. Pr.*

PARISIIS,
Proſtant Exemplaria apud NICOLAVM BOISSET, Typographum, in Platea Malbertina, ad inſigne D. Stephani, 1650.

cette these est la 876e du tome VI du recueil de theses in folio —